

**Dissertatio medica inauguralis de sanguinis e vena secta educti judicio ... /
subjicit Johannes Gambs ... Maji M DCC XX.**

Contributors

Gambs, Johann.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Danielis Maagii, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hdm93msg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. J.

24

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SANGUINIS E VE-
NA SECTA EDU-
CTI JUDICIO,

PRÆSIDE ^{quam} ARCHIATRO
COELESTI
GRATIOSSIMO AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ INDULTU ET AUTORITATE

in

INCLITA STUDIORUM UNIVERSI-
TATE ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA
SUPREMOS IN MEDICINA HONORES
&
PRIVILEGIA DOCTORALIA

legitime capessendi
i publicæ Philiatrorum disquisitioni
subjicit

JOHANNES GAMBS, Argenc.
Ad diem Maji M DCC XX.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGIL

**A R C H I A T R O
S U M M O
&
P R O X I M O**



PRÆFATIO.



Orpus nostrum hu-
manum ex solidis ac flui-
dis partibus constans cum
variis, proh dolor! ob pri-
morum nostrū Paren-
tum obnoxium sit malis , utique necessa-
rium fuit , ut Medicus ea methodice ag-
gressurus illa etiam probe dignoscat , &
causas, a quibus oriuntur, satis perspectas
habeat , nam

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.
Verum cogitatione nostra non ita facile
assequi possumus quæ intus in nobis ge-
rantur, hinc prostant signa , quæ vel præ-
sentem morbum ostendunt, vel quæ cau-
sam morbificam in apricum deducunt.

Plures vero viæ nobis suppetunt cauſas
morborum manifestantes, & obſervan-
tur hæc signa tum in corpore, tum ex-
tra corpus, inter hæc plura dantur, quæ
ab excretis potissimum deſumuntur, vel-
uti ſunt urina, fæces alvinæ, ſaliva, ſanguis
e V. S. eductus &c. quod ultimum Diſ-
ſertationis Inauguralis loco elegi, quia du-
plici ex capite potissimum ſe commendat,
1. quod pauca de hac inspectione cruoris e
V. S. extraēti proſtent, quantum mihi qui-
dem conſtat, niſi unicum ſere exiguum
tractatum Jeſſenii à Jeſſen excipias, 2. quod
magnus abuſus in hac materia à vulgo, ne
dicam à Barbitonforibus, quotidie contin-
gat, qui Calendariis annexa memoriter
exacte tenent, quæ tamen pleraque aniles
fabulæ atque futilia ſunt. Meæ quidem
tenuitatis ſatis etiam conſcius ſum, me vo-
tum Cl. D. D. Lentilii aliorumque non
adimplere, qui optant, ut meliora de hoc
judicio proſtarcent; feci tamen in hac re

periculum, quod si minus in pertractanda
hac materia accuratus fuero, velit mihi B.
L. condonare, conatusque meos in melio-
rem partem interpretari.

§. I.

Cum de judicio sanguinis e vena secca extra-
cti Disputationem conscribendi animus
mihi sit, ante omnia annotandum esse ar-
bitror, quid per judicium hoc intelligen-
dum veniat, denotat E. hoc in loco nihil aliud, quam
inspectionem cruris collecti e plaga venæ inficta,
hincque ratiocinium Medici de constitutione sanguini-
nis, de proportione seri cum sanguine, quandoque
de ipso ægroti morbo, de prognosi formanda, deni-
que etiam de ipsa curatione instituenda. Neminem
quoque latere existimo, quid per sanguinem hic
intelligi debeat, nempe universa illa massa, quæ
continetur in pelvi, qua excipitur crux, adeoque
minime sanguis stricte loquendo, seu globuli Δ ci
minimi rubri. Sanguis namque juxta plerosque Phy-
siologos dividitur in propriæ sic dictum, de quo mo-
do actum, lympham, quæ est seri portio gelatinosa
nutritia, & denique serum seu aquosam portionem
inutilem, quod proinde serum excrementitium a
Medicis vocatur; & hæ sanguinis constitutivæ parti-
culæ quando in debita crasi atque constitutione per-
manent, multum ad conservationem sanitatis faciunt,
quaudo vero vel excedunt quantitate, vel qualitatis

quodam vitio laborant, tunc eacochymia exoritur, quæ autem excedant & reliquas sub jugo habeant, vel qualitate aliqua peccent, optime ex ipso sanguine e V. S. emissæ observari potest, sanguinis enim inspectio ad ejus constitutionem & naturam indagandam multum facit, verba sunt Celeb. D. D. Hoffmanni Fund. Med. Semiot. cap. i. ex hac etiam Medicus certior evadit, an purgantia, attenuantia &c. in usum sint vocanda, & ut Baglivi verbis utar, color, consistentia, aliaeque educti sanguinis affectiones subindicare nobis poterunt latentem causâ proximâ constitutionem; adde & hoc, quod interdum res toto genere p. n. in sanguine lateant, varia mala procreantes, Medico horum caussam nesciente, quæ tam in sanguine e V. S. emissâ quandoque deguntur.

§. II.

Ex his igitur allatis patet, utique judicium quodam dari posse & inspectionem ejus admodum utilem esse. Sed ad ipsam tractationem jam me accingam. statim itaque a statu naturali incipiam, hoc enim cognito nullum est dubium, quin p. n. facilius possit cognosci, contraria enim juxta se posita magis elucentur. Sanguis E. in statu sano unius cujusdam substantiæ esse debet, colore purpureus, sapore dulcis, odoris fere nullius, qui refrigeratus in aquam & grumum abit, & nec nimis spissus esse, nec sero abundare debet. conf. Jessen. à Jessen tract. supra cit.

§. III.

Sanguis autem emissus non uno duntaxat, sed duobus vel tribus vasculis excipiendus est, ut varietas

tas & diversa constitutio ejusdem observari possit, annotamus enim sanguinem diversis scutellis exceptum in prima impuriorem & crassiorem, in sequente jam meliorem, in ultima optimam substantiam, quin & colorem exhibere, vid. Lentil. Eteodr. p, 528. Melius quoque est, ut sanguis mittatur in vasæ fictilia aut vitrea, quam in ea metallica, in quibus mutari potest tam quoad consistentiam, quam quoad colorem, aliasque qualitates, ex quibus postea judicium incertum redditur. Cruor insuper in locum umbrosum reponendus & nequam radiis solaribus exponendus est, tegi quoque oportet charta, vel alia quadam re, ne aliena in eum incidant.

§. IV.

Differt vero ipse sanguis & in statu sanitatis quam maxime a se invicem, variat enim pro temperamentorum diversitate, sic in sanguineo & cholericò magis gelatinosa gaudet consistentia, phlegmaticum nactum est mollem tenuem, dilutum aquosum, in melancholico perpetuo crassior, nigrior minus sufficienter diluente aquositate instructus observatur, conf. Jll. Stahlii Diss. de Temperam. Aër, etiam pro diversitate gravitatis, elasticitatis, caloris ac frigoris & contentorum respectu M. S. diversis modis alterat, ita Lentilius in omnibus V. Sbus autumni 1709. observavit sanguinem sero admodum dilutum Eteodr. p. 1062. Cibum & potum varie etiam mutare M. S. nullum est dubium, si enim quis potulentis multum aut cibis humidis utitur, ejus M. S. sero magis abundabit, quam illius qui cibis solidis ac par-

co potu fruitur : insignem & alterationem inferunt
animi pathemata & vitæ modus ac conditio.

§. V.

Sed dilectus hic naturæ filius, uti Avicenna sa-
guinem appellat, sit quandoque degener, induitque
Prothei naturam, dum nunc quoad consistentiam,
nunc quoad colorem, nunc saporem, odorem se mu-
tat, nunc etiam res toto genere p. n. in se continet.

Quod jam consistentiam attinet, est ea vel nimis spissa
& crassa, vel nimis tenuis, quoad prius, denotat vel
seri defectum, vel hujus & lymphæ spissitudinem &
lentitatem, per consequens E illos morbos in qui-
bus dicta occurunt. Sanguis itaque spissus, niger,
& qui in fundo vasis adhæret, significat subjectum
plethoricum, malum hypochondriacum, & melan-
choliam, quale quid observavit Forestus in fœmina
suppressione mensium laborante conjuncta cum me-
lancholia libr. 28. Obs. 9. in suppressione mensium
Galenus testatur, se vidisse sanguinem pici simi-
leum & quoad colorem & consistentiam, in lienosa pi-
ceum annotarunt E. N. C. Cent VI. Obs. 5. & in con-
sumata hypochondriaca D. II. A. V. App. Obs. 61.
Notatu dignum est, sanguinem non efflucre e V. S.
post menthae usum conf. Simon Paul. Quadr. Botan.
class. 3. & Riva. Dissert. de Acid. Ventric Ferment.
Coroll. qui ambo hoc experti sunt in uteri affecti-
bus. In melancholicis aliquando sanguis e V. S. pla-
ne est grumosus, ita ut pisorum ad instar concretus
profiliat E. N. C. D. II. A. IV. Obs. 10. & talis sanguis
utiliter effunditur juxta Medicorum Ciceronem Cel-
sum de Medic. libr. 2. c. X. Conf. Christ. Joh. Lang.
Semiot. part. I. p. 730. Subinde ita crassus existit, ut
vel

vel vulnus dilatari debeat, uti Borellus Cent. 4. Obs. 93. recenset historiam, ubi vulnus infligendum erat ad trium digitorum transversorum longitudinem, vel corpus ante V. S. probe movendum, quo sanguis fluxilior reddatur, quale exemplum referunt E. N. C. D. II. A. II. Obs. 154. de viro catarrhis fere continuis obnoxio, qui ante V. S. ad largum usque sudorem movere corpus debuit, alias si hoc neglexit, ne guttula unica sanguinis e vena rite etiam incisa effluxit. Sic & in epilepticis sanguis enormiter spissus est, nisi ab hereditaria dispositione oriatur malum, conf. Stahlii exemplum mulieris epilepticæ, cui cum vena aperiretur nihil sanguinis emanavit, sed frustrin coagulatum ad digitæ longitudinem e vena protrahebatur Pathol. p. 316. Spigelius assertit se sanguinem in iis, qui postvehementes corporis motus & exercitia potum frigidum superingesserunt, observasse crassum ac frigidum & non nisi cum maxima difficultate, prodiisse. Huc etiam pertinet sanguis spumosus, qui ordinarie in seri defectu talis est, adeoque glutinosior sanguis spumam diutius servat. conf. Lang. l. s. a.

§. VI.

Ille sanguis crassus, ubi serum mox in lardum vel gluten quoddam abit, & in superficie loco tremoris coccinei cuticula subalbida, vel diversi coloris tenacissima, & fibris referta tegitur, aut qui sevi liquati-præ se fert speciem, designat plerumque profundam inflammationem, præprimis vero membranofarum ac tendinosarum partium, præ cæteris pleuritidem; si vero in hoc morbo sanguis e V. S.

per cutim repens perpendiculariter dimanat, ut ut cœ-
keri se proripiat gradu sæpe tamen ad dictum colorem
non accedit, conf. Sydenham. Sect. 6. cap. 3. p. 333.
Willis. Pharm.. Rat. p. 78. River. cent. 2. Obs. 63. E.
N. C. D. III. A. I. Obs. 71. Pezold. Observ. Med. Chir.
Select. Obs. 91. hinc si in inflammatoriis pulmonum
morbis in sanguine e V. S. extracto non apparet in
superficie crusta illa alba quæ necessario adesse de-
bet, pessimum præbet signum secundum Bagliv. &
si in pleuriticis, pulmoniacis aliquando etiam in in-
flammationibus hepatis & lienis, nec non in phre-
niticis sanguis demissus e vena corruptus, niger, li-
mosus tenuisque in fundo & in parte superiore aquo-
sus, corruptus, pituitosus ac non nihil lividus cerna-
tur, neque dein congeletur magna ex parte mortem
præsagit. Forest. l. 16. Obs. 46. Schol. Ut hic sanguis
vitiatus e corpore evacuetur quidam suadent toties
V. S. esse rependam, si vires constent, quoties ita de-
turpatus exit, quod & ipse Medicorum Romulus
Hippocrates ptacipit, libr. de rat. viet. in morb. acut.
edit. Fœs. Sect. 4. p. 387. conf. etiam Willis. Pharm.
Rat. p. 81. River. Prax. Med. l. 7. c. 2. & cent. 2. Obs.
63. quorsum etiam pertinet illud, quod Tavernier in
suo Itinerario Indico libr. 1. cap. 13. p. 51. refert, nimi-
rum in nosocomio Goæ certo morbi genere corre-
ptis 30. aut quadragies Medicos V. S. celebrare, usque
dum saniosus profluere desinat, quo scaturiente flo-
rido nec purulento ægri convalescunt, acquisituri ve-
ro plenariam ac perfectam sanitatem per 12. dies o-
mni die 3. vitra adimpta urina vaccina (sit venia
verbis) exhauste debent. Non immerito huc re-
ferri

ferri potest illud desumtum e lepida Comœdia Celebris Galli Comici Mollier, quæ titulum gerit Mr. de Pourceaugnac, ubi à Medico rusticus quæsitus, quoties vena ipsi lecta fuerit, respondit, intra viginti dierum spatium decies & quinques sanguinem missum esse, Medicus tamen in admirationem raptus has V. S. morbum non solvisse. Sed in viam me rursus conferam a qua paululum ratione repetitæ V. Snis digressus fui.

§. VII.

Pleuriticorum cruxi similis est ille podagra, aut febre erysipelatosa aut rheumatismo decumbentium vid Sydenham Tract. de podagr. p. 560. & pag. 354. sic Pezoldus Obs. 47. sanguinem in foemina rheumatismo pedis divexata observavit omni sero carentem, & tam crassa cute per superficiem tectum, ut ægre cultro scindi potuerit conf. & ejusdem Obs. 94. Klaunigius in Nosocom. Charit. Obs. 19. vidit in vitro calculo renum laborante cruxorem eductum & quoad colorem & quoad consistentiam ceram flavam adæquantem, nisi in illa parte, qua scutellas attingebat, ubi quasi tenuissimum folium sanguinei coloris conspiciebatur, reliquum vero contentum, quod 2. latos digitos altitudine excedebat, gelatinam monstrabat. Immo etiam in febre petechiali sanguis e V. extractus in superiore parte cruxta alba spissa tenaci ssi-
ma obductus, in inferiore vero modo floridus & fluidus sine ulla coagulatione deprehensus, modo concretus & coagulatus conspicitur, vid. Hist. morb. Vratisl. 1699. pag. 9. Addi & hic debet illud prognosticon Baglivi de variolis Prax. Med. I. I. c. 9. nimirum eas fore copiosas ac valde periculosas, si sanguis eductus cruxta alba magna crassa que tectus est.

§. VIII.

Sed huic consistentiæ firmæ ac compactæ contrarius est affectus, quando sanguis sero nimis abundat, quod denotat subjecta cachectica & hydropica, in hisce enim sanguis ferme totus serosus existit serumque pallidum conspicitur, adeo, ut post residentiam non nisi cuticula rubicunda in superfice seri appareat conf. Juncker Conspect. Med. Tab. 64. Peclin. Obs. Phys. Med. I. 3. Observ. 19. & Lang I. f. c. designat etiam renū debilitatem aut ægrum plus quam par erat Baccho litasse. vid. Hoffmann. Med. rat. System. p. 99.

§. IX.

Et hæc de consistentia dixisse ex professo sufficiant, quamvis non inficer, in sequentibus pauca hinc inde de ea occurrere: Jam itaque de colore sermonem instituam, in genere autem annotandum, quod sanguis emissus e vulnere minori semper floridior sit, atque ad omnem externum sensum melior quam e plaga majori profluens, unde non pauci volunt, ut vulnus semper majuscum venæ infligendum sit. vid. Lentil. Eteodr. p. 528. & 235. Ille color qui proxime à naturali secedit, est, quando impense coloratus & rutilans conspicitur, significatque febrem malignam, conf. Pezold. Obs. 85. In peste sanguis frigefactus colore haud absimilis est optimæ notæ sanguini, nisi quod impense veluti rutilans ad floris Cardinalitii trachelii illius Indici colorem proxime accedat, immo propemodum superet, & præditus sit paucō sero; quæ sanguinis conditio grassantibus epidemias, malignisque febribus, vel non iisdem grassantibus, ut plurimum mortem prælagit. Sim. Pauli digress.

digress. de febr. malign. §. II. p. 15. quod & probat
 historia quadam viri cuiusdam cuius sanguis justo
 floridior erat, nulloque omnino sero dilutus, sed ad-
 eo siccus, crassus, tenax ut vasa rotare aut omnino
 invertere citra ullius guttae dispendium potuisses, p.
 23. E. N. C. D. II. A. VI. Obs. 64. App. pag. 80. Sic &
 Bagliv. cap. 13. observavit omnes fere ab acutis evasisse
 morbis, quorum sanguini e V. S. extracto crusta alba at-
 que chylosa supercrescebat, contra mortuos, quo-
 rum sanguis valde rutilans erat. Sanguis etiam in
 febre pestilenti si nullum præ se ferat vitium, sed
 purus & secundum naturam se habere videatur, pe-
 riculosus, quo stabilitur illud Medicorum sanguis bo-
 nus, urina bona &c. æger moritur. conf. River. Prax.
 Med. I. 17. f. 3. c. I. & Sim. Paul. I. c. p. 25.

§. X.

Sed rubicunda pars variare solet quoad colo-
 rem, aut enim est rutilans per omnia, aut variega-
 tus interspersis punctis vel nigricantibus vel viridi-
 bus, flavis, vel ita diversicolor apparel veluti colum-
 bæ collum intuenti, quod dependet ab amico vincu-
 lo particularum sanguinem componentium quadan-
 tenus dissoluto, & denotat plerumque lymphæ & seri-
 vitia. Sic serum in lue & ea infectis maculis lividis,
 aut colore quasi cœrulecente in superficie conspici
 solet, prout nempe plus minus malum inveteratum
 est, cruor enim hoc morbo gravius afflictis refrige-
 scens manifestos lntores, immo grandinosas albidas
 glutinosas concretiones ostendit, porro si sanguis
 qui educitur eodem malo decumbentibus con-
 spicitur floridus & elegantis consistentiæ cum paucō
 vel nullo sero supernatante devictæ & curatæ luis in-

dicium est. Etmull. Colleg. Pract. p. 459. & Juncker. Conspl. Med. Tab. 72. p. 489. In dispositione ad scorbutum observavit Cl. D. D. Lentilius Eteodr. p. 559. sanguinem sequenti modo constitutum, globuli quidam rutilantes pauci muco glutinoso multo, ranarum sperma referenti, implexi in plurimo sero nabant: & Juncker. Tab. 69. p. 462. ait, serum scorbuticorum superstans loturæ carnium simile esse, rubicundamque portionem in fundo coagulatam ac viscidam apparere. Ubi in sanguine e V. S. emissso globuli rutilantes innatant gelatinæ levi nitu in mucorem dissipabili, fundo vero vasculorum adhæret amurca nigra, ibi indicium est, quod ægri ex stomacho laborent ex multiplici observatione Lentilii Eteodr. p. 120. Ad hanc thesin pertinet & sanguis ita dictus corruptus.

§. XI.

Pergo jam ad colorem albæ magna vero intercedit differentia inter albos colores, aliis namque dependet a sero, quod crusta gelatinosa sanguinem obtagit, de quo jam actum in §. VI. ad quæ adhuc addi merentur quæ habent E. N. C. D. I. A. I. Obs. 28. Schol. & D. I. A. II. Obs. 210. Alius a chylo sanguini & sero supernatante, aliis a lacte: quæ observantur quandoque in illis subjectis, quæ laute & opipare edunt ac bibunt: sicuti Trans. Phil. Anglic. exemplum recensent virginis, quæ cum largiter jentaculum circa septimam matutinam sumisset, & ei hora 11. vena searetur, tunc manifeste chylus observabatur. Sic etiam in plethorico optimo victu uiente sanguis albus cum sero multo chylum indigestum æmulante sine sanitatis damno aliquot annis durans observerunt E. N. C. D. II. A. VII. Obser. 169. & D. II. A. IX. Obs. 231. Subinde etiam lac repertum fuit in sanguine e V. S. educto, uti testantur Petrus à Castro & Rhodius cent. 3. Obs. 32. qui in fœminis lactantibus tale quid observerant. Post lac vaccinum in copia haustum conspexit Bartholinus Cent. 1. hist. Anat. 17. sanguinem lacte-

lacteum. Qui color, subjectis illis, e quibus talis e vena elicatur, non levem subinde incurit terrorem, uti tale exemplum ex sua Praxi amplissa mihi benigne communicavit Spectabilis Facultatis Medicæ Dn. Decanus Johannes Saltzmann Med. D. Anat. & Chirurg. P. P. Celeberimus, Patronus, Præceptor meus nunquam non venerandus, qui, inquam, in viro cum præcedente die largiter lacte in cœna usus esset, in sequente vero ei vena secaretur, sanguinem insigniter lacteum observavit. De contrario colore nigro jam hinc inde dictum est. Ad colorem addi adhuc potest pinguedine abundans sanguis, qui significat in pinguis transiit in pinguedinem, in gracilibus vero marco rem portendit. Jessen.

§. XII.

Interdum conductit saporem & odorem examinare, nam E. N. C. D. II. A. II. Obs. 107. & D. III. A. I. Obs. 14. allegant historias sanguinis ita caustici, ut guttula una aberrans cadens ad denudatam cutim tantum dolorem & ardorem excitaverit, ut vulneratus ad ejulandum coactus fuerit, phlebotomique cuspis livido colore tingebatur, & tam friabilis reddebat, ut levi attritu in particulas abierit, in altero indusum corroserit. Quod odorem concernit, si in febribus sanguis e V.S. emissus fœtidus & graveolens, sed & putridus adeo, ut nec sibi cohære re, nec concrescere queat, lethale. Forest. libt. 1. Obs. 17. Schol. Historiam sanguinis insigniter fœtidi vid. Sim. Pauli tract. s. a. §. II. p. 15. Curiosum est quod allium comedunt eodem etiam odore imbuat sanguinem, secundum Hoffmann Fund. Med. l. c. Pertinet & huc historia illa E. N. C. D. II. A. IV. Obs. 63. de urina, infœmina æ suppressione jam per septimanam decumbente, cum sanguine profluente. Tactus & nonnunquam in auxilium vocandus est, prostant enim exempla sanguinis & intense frigidi, vid. Borell. Cent. 2. Obs. 51. & Morton. in prolegom. de morb. Acut. testatur in horrore febrili se sanguinem V. S. emis sum instar aquæ fluentis frigidum observasse, verum fides sit penes Authorem. Reperiuntur quoque exempla sanguinis intense calidi, qui indicat orgasmum sanguinis satis gravem vid. River. cent. 3. Obs. 63. Forest. l. 10. Obs. 1.

§. XIII.

Subinde etiam sanguis e V. S. elicitus in sanguino suo fovet

res toto genere p. n. vermes, aliaque animalia, arenulas, calculos: quod vermes attinet testatur Riolanus Encheir. Anat. & Pathol. l. 2. cap. 27. p. 142. se vidisse vermiculos effluentes e V. S. & Bleyni Zodiac. Med. Gall. A. I. Mens. Maj. Obs. 7. & A. II. Mens. Mart. Obs. 8. refert historiam cujusdam, ex cuius V. aperta prodiit vermis crassus & longus; & e vena foeminae febre afflita crassus instar pennae scriptoriæ 3. digitos transversos longus, immo E. N. C. D. I. A. I. Obs. 50. mentionem faciunt vermis Spithamæ longitudinis e vena extracti. Alia insuper animalia in sanguine inveniuntur, sicuti refert Borellus Cent. 3. Obs. 4. de insectis ceti seu balenimorphoris in contentis, & Bleyni Zodiac. Med. Gall. Mens. Jun. A. II. Obs. 8. recenset historiam de lacerta e V. incisa egrella: interdum etiam conspiciuntur arenæ & calculi, quorum mentionem facit Z. cut. Lusit. Prax. Med. admit. l. 3. Obs. 54. ubi in vitro intolerabili dolore lumborum vexato arenæ crassitudinæ in multa copia, figura seminis sinapi rubræ durissimæ emanarunt, & D. II. A. V. Obs. 86. De calculis, qui cum sonitu prosilierunt, vid. E. N. C. D. I. A. I. Obs. 65. & Bettus de nat. sanguic. 3. l. 3. vidit cum sanguine ferventissimo exiisse lapillos figura rapi seminis & quantitate quantum testa nucis juglandis capere potuit.

§. XIV.

Ultimo denique loco annotari adhuc merentur, quæ habet Ballonius l. 2. Ephem. p. 191. nimicum plurimis impurus sanguis detractus est, quibus mortuis & sectis partes omnes optime constitutæ deprehensa, aliis purus, quibus viscera & pulmones putres sunt inventi. Formosissimis mulieribus impurus detrahitur. Ita Cl. D. Lentilius Miscell. Med. Pract. part. I. pag. 54. annotavit sanguinem putridum in foemina grida cuius particulae sibi invicem non cohærebant, coloris nigerrimi, mucosi fibris plane dissolutis, quæ tamen postea filiolum sanguum peperit. Quæ cum ita se habeant, utique Medicus qui vetum judicium de sanguine e V. S. educto ferre vult, reliqua etiam signa adjungere, & in subsidium vocare debet: & hæc sunt quæ pro ingenii mei tenuitate in medium proferre volui. DEUS interim T. O. M. qui mihi sua gratia hucusq; astitit, studia mea porro ita dirigat, ut vergant in Ejus gloriam, proximi salutem, meumque proprium emolumentum.